

VII. *Observatio Anatomica rara de Calculo in
Rene invento à Cl. Viro Dr. Wittie, R. S.
hanc ita pridem Communicata.*

Generosa quædam annorum 31 modestiâ, prudentiâ, pietate, tamque formâ corporis quam animi dotibus omnibus numeris absoluta, Anorexiâ ac ventriculi dyscrasiâ diù laboraverat, ut vel parum appeteret, & ne quicquam deglutire posset, quod non statim evomuit, cum copiosâ æruginosæ bilis per alvum dejectione. Ad hanc accitus multa adhibui remedia Ventriculi viscerumque tono labefactato appropriatissima, undè aliquandiù melius se habebat, ut per aliquot Menses quotidiè in apricum prodiret. Verùm in herbâ latebat Anguis, qui ipsam mordicûs tenebat miseram, ut non modò in dicta Symptomata recidivationem pateretur, sed & omnia Remedia quæ illi priùs fuerant proficua prorsùs respueret, imò ab eis (quid ni dixerim) penitus abhorreret, ut Morbus nullis Medicamentis ab Arte Medicâ excogitatis esset emendandus. Observavi enim prædicta Symptomata à Calculo in Rene sinistro hospitante processisse, undè novam querelæ ansam ei subindè suspicatus sum, & prædixi. Ipsi tandem Mense Julii Aquas Epsamenses acidulas vehementer appetenti, & tunc temporis Tertianâ nothâ insuper detentæ, suadebam, ut Aerem istum purum aliquandiù inspiraret, ac Septimanias aliquot hilariter transfigeret inter Hydropotas, Aquas verò ut parciùs biberet, nè indè calculosa Symptomata magis irritarentur. Post duos Menses reversæ omne vergebatur in deterius, ut nec quovis Cardiaco per vices, nec Cibo reficeretur, nec in utrumvis Latus præ dolore decumbere posset. Ipsa tandem inter Mulieres Optima, innumeris pressa Symptomatis, Animam in Salvatoris finum placidissimè expiravit 28 Januarii 1672.

Die-

Die sequenti, accersito Chirurgo cum consensu Amicorum, coram variis primæ notæ Testibus cadaver aperiuimus, ut Morbi caufam penitus investigarem, aliisque detegrem.

Pulmones malè colorati, subnigri scilicet, plus justo apparuerunt, ac dextrum versus computruisse videbantur, ut Phthiseos impendentis (si diutius vixisset) metum incuterent.

Ventriculus ultra modum distentus, ac ad instar Vesicæ inflatæ tumefactus proximè emicuit, ut vel indè ob tenuitatem, ac fibrarum solutionem Tonus ejus necessariò debilitaretur, & ingesta vel statim vomitione rejicerentur, vel in alvum cruda sponte defluerent.

Corculum admodùm exile, ac instar vacuæ Crumenæ molle deindè conspeximus, cuius Parenchyma, diuturniori Febris supra dictæ atque Hectices indè sequentis Calore, in liquore proprio eliquatum, mollitatem contraxerat: Et quidem indè factum est, ut Pulsus constanter haberet undulantem, ut versus finem vix sentiri posset, quin ἀσφυξίᾳ detineretur.

Jecur quidem sat sanum, at supra modum extitit largum, quod non solùm dextrum pro Naturæ instituto occupaverat, sed & ad sinistrum Latus mirificè extendebatur, atque illud etiam implebat; ut non multo minus ad levam abdominis partem extiterit, quam quod in aliis Lege Naturæ in dextrâ conspeximus, ut Lienem indè depauperatum censeremus, qui parvus plus justo fuit & exilis. Et quidem Jecur utrinque (nempe tam in Sinistro quam Dextro latere) adeò pertinaciter per totum adhærebat, præcipue in dextro, ut à Chirurgo non sine vi ac difficultate divelli posset. Et quidem hinc evenerat ut per aliquot Menses in latera dormire nequiret, nedum sine dolore in utrumvis inclinare, quin Hepar justo gravius Peritonæum, Membranam sensus exquisitissimi dolorosè distenderet, & Ventriculus præ-

(32)

ter modum debilis ad vomitionem à compressione stimularetur.

In concavâ utriusque Hepatis parte (si ita mihi loquaciterat, cum reverâ unicum tantum esset in utrumque latus protensum) delituit vesicula felica, ita ut planè duæ extiterint, à se invicem per longitudinem manus meæ ad minimum disternatæ, bile turgidulæ; quæ verò ad lævum Hepar adnascebatur, alterâ minor erat, & quidem nigror.

Ad Renes tandem dèventum est, quorum Dexter scopo Naturæ ordinario in unaquâque re conformis erat; neque in ea regione (quantum novi) de minimo Symptomate querebatur Ægra. In Sinistro autem, ubi Morbi somitem, Mortisque causam inesse semper dixeram, Calculum non admodum gravem quidem, aut ponderosum, (cùm semiunciam non excederet) sed miro modo tortuosum evulsimus, ceu creta albidum, ac instar Radicis alicujus in tres surculos medio connexos, divergatum, ad latitudinem trium digitorum. Eheu! Quantos dolores isti Mulierum optimæ ipsa Calculi Figura perperat, quæ triplici cuspidi Renem compresserat, ut informam sui similem distorqueretur Parenchyma! O quantæ Vomitiones indè supervenerant! Ni & illas duabus felleis Cystibus bilem copiosè nimis in Ventriculum refundentibus, ut causæ partiali tribuendas censeamus. Nequè verò dubitandum est, frequentiores alvi dejectiones, à copiosiori quantitate bilis æruginosæ intestinorum, Facultatem expultricem proritantis subindè processisse.

A*m*